



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 124. Tumultus ab Eboracensium factione in Anglia restaurati

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

tionum, atque turbarum esse debuisset. saecul. XV.
A.C. 1459
 Summus Pontifex Legati sui culpam apud Regem deprecatus, eidem per Papiensem Episcopum insinuat, omnia se incio, inconsultoque attentata fuisse; & id ipsum veritati consonum fuisse proditur, ex eo, quod Legatum Anglia excedere jussum, ac Romam reducem carceri mancipari, atque instructo causæ suæ iudicio, castigari præceperit.

§. CXXIV.

*Tumultus ab Eboracensi factione
in Anglia restaurati.*

Sopiti sunt in Anglia aliquamdiu factionum tumultus, cum Dux Eboracensis in Hiberniam, Sarisberiensis autem & Warwicensis Comites, Caletum aufugissent: brevi tamen innotuit, quam facile inconstans populi genium auctoritati, atque horum Principum arbitrio serviret. Rex enim, postquam hosce Duces, eorumque fautores perduellionis reos declarasset, Sommersetum recens ad Ducatus dignitatem evectum unacum copiis Caletum ablegavit, eumque urbis Gubernatorem constituit, dato negotio, ut auctis præfidiis Warwicensem Comitem urbe excedere compelleret. Vix ille in conspectu portus erat, & ecce! ingens globorum & flammaram tempestas a Caletensibus in
Hist. Eccles. Tom. XXVIII. Rr eum

Sæcul. XV. eum exoneratur, A.C. 1459. cuius sævitiam declinaturus, Guinæam citato pede sese contulit, ubi summo animi mærore nuntium accepit, quod eo absente naves, quibus vectus advenerat, sese hostium imperio dedissent, nec non Varwicensis Comes post reparatas Eboracensis factionis ruinas Angliam petiisset, bellum restauraturus, cui etiam suppetias ferre dicebantur Baro de Cobham, alique suorum fautorum complures, qui ibidem anxie ejus adventum præstolabantur. Nec vanus rumor erat; quippe re ipsa Varwicensis clam Angliam repetiit, eumque Eboracensis Ducis Filius, qui vulgo Comes Rolhandus dicebatur, nec non Sarisberiensis Dux comitabantur, quorum ac ceterorum opera adjutus, adeo dextre, ac feliciter sibi addictorum animos devicit, ut brevi copias prioribus numero & animo longe potentiores colligeret.

§. CXXV.

Factionum Pugna.

Interea Sommersetus Dux ad regiam revertitur, ubi Reginam de amittenda Londinensi urbe nil sibi metuentem invenerat, eoquod illius curam Scalesio & Luvelio Baronibus demandasset. Verum probata utriusque hujus Viri fides haud obstitit, quo minus regii Palatii
Magi-